

ANDREAE IOHANNIS RETZII


PHIL. MAG. AD REG. ACAD. LVNDENS. HISTORIAE NATVR. PROF.
R. ET ORD. DES. SOCIET. PHYSIOGRAPHICAE LVND.
SECRETARII ETC.

FASCICVLVS

OBSERVATIONVM
BOTANICARVM

QVARTVS.

CVM FIGVRIS AENEIS.



LIPSIAE

APVD SIEGFRIED LEBRECHT CRVSIVM.

clccclxxxvi.

VIRO NOBILISSIMO

D. THOMAE PENNANT

ARMIGERO.

Hunc Quartum Fasciculum in tesseram grati animi offert.

AVCTOR.

L. B.

Ultra dimidiam huius Fasciculi partem pulcherrima constituunt Gramina, quae, nonnullis exceptis, communicavit infatigabilis ille in India orientali Botanices cultor, amicus mihi e paucis selectus D. KÖNIG, quem nec impensae, nec molestiae, nec ipsa vitae pericula deterrent, modo Botanicen, dilectissimam sibi Scientiam, locupletari inde videat. Plus una vice e faucibus orci erectus (a), mox novum iter parat, novisque periculis se exponit.

Hic egregius Vir, cujus erga me benevolentiam et amicitiam vix satis laudare possum, varia antea ignota Materiam Medicam illustrantia indagavit, nonnulla (b) communicavit, reliqua, si unquam ad nos sospes, quod det Deus! redeat, curiosi ab eo expectare possunt.

(a) Scribit in ultimis litteris d. 16 Octobr 1782 Tranquebariae datis: „Nuper iterum morti proximus fui, morbo enim diro, quem Dysenteria Apoplectica appellare fas est, tenebar, quo me mortuum jam in urbe rumor spargebat. Sanitatem reddidit Clementissimus Deus. Integer tamen mens ante perfectam restitutionem transiit. Morbi cursus hic est: Diarrhoea corripitur aeger cum elastica quasi excrementorum ejectione; dein sequuntur ejusmodi dejectiones, quae nihil nisi humorem lymphaticum clarum continent. Manus mox frigent cum pedibus. Manuum muscoli contrahuntur, et hae aeque ac facies flavidum glutinosum mucum transsudant. Pulmones angustantur, vox rauca vix adstantibus percipienda. Alii timore percutiuntur, alii indolentes videntur. Pulsus in omnibus extremitatibus deficit et tantum ad arteriam Carotidem observatur, quamvis irregularis. Nonnulli iam vomunt. Ungues lividi fiunt, et diri spasmi brachia et suras corripunt, cum clamore aegroti. Haec mors sequitur sine insigni convulsivo motu. Cursum hunc sequitur morbus, qui saepe intra semihorium terminatur, nonnunquam sex ad octo horarum spatium absolvitur. Qui remediis sublevantur idoneis ad nychthemii spatium illum protrahere possunt. Pauci sibi relicti convalescunt. Hunc ego morbum periculosissimum vici et sospes prolixè descripsi.“ —

Vix sanatus iter in Bengalam meditatur, qui Malaccam, Siam, ter aut quater Zeylonam etc. vidit, et plura quam ullus alius in hisce oris collegit. Fati celeberrimorum *Haselquist*, *Forskahl*, *Löfving*, *Commerfon* memor rogavi, immo obsecravi, ut Europam cum thesauris suis redeat, nec fatalem terminum in India expectet, ne cum ejus vita praecipuus itinerum fructus desideretur. Sed insatiabile rerum naturalium desiderium Illum tenet, omni laude dignissimum. Historiam Naturalem quotannis multis et curiosissimis inventis ditat, et cum amicis in Europa degentibus multa communicat e re Herbaria, sed quae haud minoris momenti in Animali regno detexit, vereor ne, si in India diem subiret supremam, omnia cum eo pereant.

(b) Haud inutile duco, quae ad meas de his quaestiones communicavit, apponere.

Excoecaria ad Tranquebar vilissimum est lignum, quod combustum foetet, leve est, et straminis instar deflagrat. Nonnulli mihi pro certo affirmavere Succum lacteum venenatum esse et homines eo inspersos intumescere, etiam mori. Ego autem saepe ramos abrupti, ut semina haberem, et succum hinc inde in me sparsum absque ullo incommodo vidi.

Columba Radix a Lusitanis e Mozambique adducitur; ibi vero a Caffris in continente emta habetur, et lucrosa omnino est merx, nam Insulani illa multum utuntur, etiam in Dysenteria, sed moriuntur saepe cum Medicina in ore.

Sanguis Draconis copiose in peninsula Malacca colligitur a specie *Calami*, sed ad Chinam fere omnis transportatur, ibi enim maximo cum lucro venditur. De *Sanguine Draconis Soccotrinensi*, quod ab eadem planta colligatur, vix credo. *Malaccensis* saepe Gummi Damar, quod Animes est species, adulteratur.

Terra Japonica. D. FOTHERGILL, qui D. KERR sequitur, contendit illam e *Mimosa spicata* Pluk. Mant. fol. 1. pl. 5. 6. tab. 329. f. 5. 6. provenire. Ego de hoc dubito. Quae e Malabarico littore huc venit Tamulis *Malugalam* dicitur. Vera Terra Japonica Tamulis *Kaskatti* audit, et a




Interea mei Fasciculi de ejus, non minus quam reliquorum Amicorum, erga Scientiam et erga me animo testes sint. Intervient simul instar continuationis *Supplementi Plantarum*, a LINNÉO utroque, proh dolor! demortuo editi. Illos continuare mihi proposui, donec potuero. Si placeat propositum, si labor ipse; Amicorum est, benevolas porrigere et auxiliatrices manus. Si vero secus, opto, ut, quibus copia est novarum plantarum, illas ipsi describant. Perinde enim est a quo describantur, modo fiat. Laudem enim et nomen non quaero, sed utilitatem et scientiae florem.

pauperioribus cum Betel manducatur; opulentiores vero succo utuntur, qui e Malacca provenit, et *Cattu-Cambar* vocatur, quique e *Cinchonae* specie copiose excoquitur. Secundum *Kaempfer* in itin. Japon. haec vera erit Terra Japonica.

Gummi Gutta vera Zeylonensis e *Cambogia Gutta* non provenit, sed ab alia arbore polygama fructu Cerasiformi, eduli, quam alia vice describam. Gummi illud in Zeylona collegi, quod prunis inspersum suavi odore reficit.

Plura in sequente Fasciculo communicabo.



1. **IUSTICIA** *acaulis* L. Suppl.

Descriptioni adde

Folia saepius lyrata, alia tamen in eadem planta integra.

2. **GRATIOLA** *Lobelioides* caule subnudo stipulato, foliis oblongis integerrimis, panicula dichotoma, capsulis subglobosis.

Descriptionem celeberrimi inventoris, quamvis non nihil prolixam, potius quam novam ex sicco specimine conficere, addere volui.

Radices capillaceae, numerosae, fasciculatim confertae, simplices, breves, niveae.

Caulis simplex, varius supra medium divisus, erectus, aphyllus, teres, sulculo opposito obsoleto lato utroque latere notatus, leviter striatus, glaber, articulatus, articulis plerumque 5 stipulatis, pedalis.

Folia supra radicem 2^m l. 3^m parium, opposita, ad articulos approximatos adnata, sessilia, erecta, apicibus parum recurvatis, lineari-oblonga, acuta, integerrima, striis leviter notata, utrinque glabra, pagina inferiore parum concava subcarnosa, inania, caule triplo latiora, pollicaria, interdum basi parum colorata praesertim subtus.

Stipulae ad articulos adnatae 2 oppositae, sessiles, semiovatae, adpressae, acutae, integerrimae, glabrae, subcarnosae, caule foliisque viridiores, parvae.

Panicula terminalis, laxa, rara, ex pedunculis plerumque simplicibus composita.

Pedunculi patentiusculi, alterni, remoti, teretes, glabri, pilis raris interdum adspersi, tenues, subaequales, basi bracteati, subrubro-virides.

Pedicelli flore longiores.

Bractee stipulis similes, nisi quod parum angustiores, parvae.

Flores inferi.

Perianthium monophyllum, campanulatum, glabrum, parvum, quinquepartitum; *lacinae* adpressae, oblongae, marginatae, inaequales: superiores 2 parum majores apice magis rotundato; floris tubo brevius.

Corolla monopetala, irregularis, patens, basi tubulosa. *Tubus* erectiusculus, teres, colore obscuriore striatus, calyce longior. *Limbus* incurvato-patens, campanulatus, inaequalis compressiusculus, quadrifidus. *Lacinia superior* vix adscendens, obcordata, planiuscula, reliquis brevior, coerulea; *laterales* rectae, oboratae, apicibus oblique retusae, superiore paulo longiores, concolores; *inferior* patens, obcordata, planiuscula, in disco macula alba obcordata punctisque coeruleis obscurioribus raris picta: reliquis duplo major. *Faux* nuda compressiuscula.

Stamina. *Filamenta* 2 remota intra faucem tubo adnata, basi erecta, apicibus parum tortuoso-curvata, glabra, brevissima, fusco-viridia. Barba ad basin filamentorum ex pilis sericeis albis brevibus. *Antherae* connatae! singulae geminatae et ante efflorescentiam distinctae; singula pars oblonga, erecta, utrinque acuta, lutea, postea diffformes; biloculares.

Rudimenta staminum 2 approximata inter vera tubo floris adnata, parum prominula, plana, stricte decurrentia, pilis niveis minutissime barbata, in nonnullis speciminibus vix distinguenda.

Pistillum. *Germen* superum, ovatum, glabrum, sulculis utrinque notatum.

Stylus erectus, glaber, viridis.

Stigma infra antheras peltatum, suborbiculatum, magnum, parum concavum, glabrum, margine anteriore integrum: dorsali utrinque emarginatum: intra emarginaturas denticulis geminis rectis approximatis callosis. Iuxta dentes versus discum callus prominulus, albicans duriusculus.



Capsula ovata, glabra, sulco minimo notata, calyce duplo longior, bilocularis, bivalvis.

Semina numerosa, oblonga, utrinque acuta, subrugosa, receptaculo bipartito adnata.

Habitat in agris Oryzaceis. Viget tempore pluvioso copiose prope Tranquebar, alibi rarior. *Cel. KÖNIG.*

3. *GRATIOLA grandiflora* caulibus decumbentibus, foliis ovatis ferratis, pedunculis oppositis, capsulis subulatis.

Habitat prope Tranquebar, Madras, Siam, Malacca, solo humido pingui. Dedit *Cl. KÖNIG.*

Caules decumbentes, bifidi, angulosi, glabri.

Folia opposita, ovata, ferrata, saepe etiam crenata, glabra.

Pedunculi oppositi.

Flores ratione reliquarum partium magni.

Capsulae longae, subulatae.

4. *GRATIOLA veronicifolia*, caule repente, foliis ovato-lanceolatis acute ferratis, floribus terminalibus oppositis.

Crescit cum *Gr. grandiflora* *D. KÖNIG*, qui plantam dedit.

Caules angulati, diffusi, procumbentes, ad denicula longas radículas emittentes.

Folia opposita, sessilia, ovato-lanceolata, acute ferrata.

Flores parvi, saturate coerulei, terminales, oppositi, bracteati, pedunculati.

Calyx quinquefidus, linearis.

Capsulae subulatae.

5. *GRATIOLA oppositifolia*, caule adscendente, foliis lanceolatis ferratis, pedunculis oppositifoliis.

Habitat ad Tranquebar in agris oryzaceis et humidiusculis. Viget tempore pluvioso *Cl. KÖNIG.*

Caules plerumque adscendentes, rarius erecti, quadranguli, striati.

Folia lanceolata, argute ferrata, nuda, inferiora opposita: axillis saepius ramiferis, superiora alterna.

Pedunculi ad folia alterna oppositifolii.

Capsulae longae subulatae.

6. *GRATIOLA hyssopifolia*. *Linn. Mant.*

Folia saepius ovata, inprimis inferiora.

Capsulae ovatae. —

Obs. Foliorum ad articulos proportio, nullam dat notam constantem.

7. *LOEFLINGIA indica*, caulibus depressis, foliis subtragonis lanceolatis, stipulis scariosis, pedunculis dichotomis.

Pharnaceum depressum. *L. Mant. alt. p. 362.*

Habitat in agris oryzaceis et stagnis tempore arido exsiccatis. Viget copiose Aprili et Majo. *Cel. KÖNIG.*

Calyx pentaphyllus, foliolis carina viridi-nigricante: margine lato scarioso.

Corolla calyce minor, purpurea.

Capsula unilocularis, polysperma.

Cetera vide *Mantiff. l. cit.*

8. *SCHOENUS cyperoides*, culmo compresso semitereti nudo, spicis sessilibus lanceolatis tortis: infima involucrata.

In pascuis aridis solo indurato Zeylonae lectum communicavit *Honorat. KÖNIG.*

Radices simplices, filiformes, descendentes.

Culmi solitarii, pedales et ultra, nudi, compresso-semiteretes, striati.

Folia filiformia, longitudine circiter dimidia Culmi, basi vaginis fuscis emar-
cidis vestiti.

Spicae 2 - 7 sessiles, forma et torsione *Cyperi monostachyi*; sed plus duplo la-
tiores, nitidae: infima involucrium habet monophyllum, spica brevius.

Squamae cymbiformes, compressae, carinatae, mucronatae, cartilagineae.

Stamina tria: filamentis membranaceis.

Germen trigonum, pedicellatum, album.

Stylus triqueter.

Stigmata tria.

9. *SCHOENUS Bobartiae* culmo compresso, capitulo terminali, involucrio
pentaphyllo.

Dedit Cl. KÖNIG forte e Zeylona.

Radices plures, congesti, e tunicis fuscis inflatis bulbosae videntur, fibras lon-
gas perpendiculares demittunt.

Folia linearia, laxa, saepe culmi altitudinem superant.

Culmus compressus, subpedalis.

Capitulum spiratum, breve, terminale, involucriatum, rachi tereti.

Spiculae plures, squamis scariosis ovatis, cavis subquinis.

Involucrium pentaphyllum, foliis decrepcentibus: longiore 9, brevissimo sesqui-
pollicis longitudine.

10. *CYPERUS pygmaeus*, culmo tereti, umbella composita involucriata, spicis
lanceolatis, glumis mucronatis.

In arenosis Tranquebariae lectum misit Cel. KÖNIG.

Radiculae fasciculatae, fibrosae, pollicares.

Folia radicalia, filiformia, culmo duplo longiora.

Culmus teres, striatus, vix sesquipollicaris.

Umbella composita, pedunculis 5-6 umbellulatis.

Spiculae umbellularum 4 - 6, lanceolatae, compressae, pallidae, medio rufo-
fuscae: *glumis* carinatis mucrone parvo terminatis.

Involucrium tetraphyllum umbella triplo longius.

11. *CYPERUS arenarius*, culmo compresso nudo, spicis capituli glomeratis
sessilibus, involucrio submonophyllo.

Crescit in arena volatili Indiae orientalis. Communicavit Honor. KÖNIG.

Radices articulatae, repentes, plures, fasciculos foliorum basi vaginatos emit-
tunt.

Folia filiformia, nuda, 3 - 6 pollicaria, compressa, striata, hinc canaliculata,
flavo-viridia.

Culmus e fasciculo foliorum solitarius, striatus, compressus, foliis nonnihil altior.

Capitulum sessile e spiculis 8-12 compositum.

Spiculae crassiores, compressae, distichae, e *squamis* lato-ovatis, cymbiformi-
bus, striatis, fuscis, albo-marginatis.

Involucrium monophyllum, capitulo longius, compressum. Saepe alterum fo-
lium capitulo brevius adest.

12. *CYPERUS capitatus*, culmo subanguloso striato medio folioso, capitulo
terminali triphylo, spicis sessilibus.

Locum natalem ignoro, forte indicum gramen.



Radiculae fibrosae, breves.

Culmus 4pollicaris, subangulatus, compressus, striatus, basi folium unum vel alterum, in medio vero fasciculum habet.

Folia basi multum latiora altitudinem culmi parum superant.

Capitulum globosum e *spiculis* sessilibus lineari-oblongis.

Glumae imbricatae, scariosae, mucrone subaristato recurvo terminatae.

Involucrum triphyllum, inaequale.

13. *CYPERUS stoloniferus*, culmo nudo triquetro, umbella composita involu-
crata, *spiculis* lanceolatis.

E *Tranquebaria* misit *Honor. KÖNIG*.

Radix bulbosa; fibris longis praedita, stolones horizontales squamis vestitos apice bulbos folia et culmos gerentes emittit.

Folia angusta, linearia, complicata, palmaria et semipedalia, basi sua culmum obvestiunt.

Culmus spittamaeus, triquetus.

Umbella depauperata umbellulam unicam subseffilem tresque circiter peduncu-
lata, 3-5 stachyas habet.

Spiculae lanceolatae, rubentes, glumis imbricatis.

Involucrum subdiphyllum, folio longiore $1\frac{1}{2}$ brevioris semi-pollicari. Prae-
terea unum vel alterum folium adhuc brevius: omnia subulata, striata.

14. *CYPERUS Pangorei*, culmo triquetro basi folioso, involucri triphylo,
umbella universali decomposita: partialibus subtrifidis.

Cyperus Pangorei Friis Rottb. descr. et ic. p. 31. tab. 7. f. 3.

E *Tranquebaria* misit *Amic. LÖNIG*.

Bene convenit cum descriptione Rottbölliana, nisi quod

Involucrum umbella longius

Squamae loco involucri partialis lanceolatae, apice longo filiformi.

Ochreae duplo longiores.

Spiculae non filiformes, sed compressae, lineares, latiores quam in icone citata.

Sed tota haec differentia forte ab aetate pendet. Ceterum

Radix fibris multis inanibus.

Culmus $2\frac{1}{2}$ pedalis.

Folia longa, inermia, laxa.

Pedunculi umbellularum flexuosi.

15. *CYPERUS cinnamomeus*, culmo triquetro folioso, umbella *spiculis* capita-
tis pedunculatis sessilibusque, involucri pentaphyllo serrulato-scabro.

In *Caldario Horti* fuit, sub nomine *Cyperis ligularis*.

Radix fibrosa, annua.

Culmi tripedales et ultra, solitarii, triquetri, basi foliosi, superne nudi.

Folia culmo altiora, pollicem dimidium fere lata, plicata, carina inermi. Mar-
go inferioris partis inermis, sed superioris asper.

Involucrum pentaphyllum: foliolis plicatis margine serrulato-scabris, carina
inermi.

Folium extimum $1\frac{1}{2}$ - 2 pedes longum, reliqua breviora, ut quintum bipol-
licare sit.

Umbella capitulis compositis: tribus pedunculatis pedunculis compressis; quin-
que vel pluribus sessilibus, involucello subulato sub singulo.

Ochreae 2 ad 12 linearum longitudine ancipites, oblique truncatae.

Capitula ovata, composita, cinnamomea, e

Spiculis congestis, compressis, distichis, linearibus. Squamae oblongae, imbricatae, viridi-carinatae, obtusae, 6-9.

Obs. Figura Scirpi ligularis in *Friis Rottb. descr. et ic. t. XI.* bene nostrum refert. Sed nullum mucronem squamularum spicae vidi, nec squamas lanceolatas ad pedunculorum divisionem, nisi involucella subulata capitulo singulo subiecta longiora intelligat. Ceterum descr. Linnei pedunculos habet triquetros et spiculas subulatas.

16. CYPERUS *feminicus*, a Nob. ROTTBÖLL in *Descr. et ic. p. 25* descriptus et t. VIII. f. 1. depictus etiam in graminosis Zeylonae nascitur, ubi bulbi ab indigenis comeduntur, ut in litteris retulit *Cel. KÖNIG*. Definitio vero specifica a D. ROTTBÖLL data minus apta, potius haec erit:

C. culmo triquetro feminudo basi bulbofo, involucro diphylo, umbella simplicis spiculis linearibus.

17. CYPERUS *compressus* L.

In Americana varietate *Involucrum triphyllum*

Malabarica *tetraphyllum*

Zeylonica *pentaphyllum* est foliis longis.

18. CYPERUS *Luzulae* Friis Rottb. *Descr. et ic. p. 23. no. 27.*

A *Scirpo Luzulae* Ill. a Linné diversissimus, nisi erronea sit Ill. Viri descriptio. Cyperus enim Rottböllii, quem benevolentia *Cl. KÖNIG* possideo, sine ullo dubio Cyperus est. Variat multum quoad involucri numerum, vidi enim foliis tantum tribus instructum.

19. SCIRPUS *glomeratus*, culmo nudo teretiusculo, umbella glomerata, involucro diphylo brevi, floribus diandris.

E Zeylona communicavit *Amiciff. KÖNIG*, ubi ad margines agrorum cum *Scirpo* dichotomo crescit.

Radices longae, filiformes.

Folia radicalia, conferta, breviora, rigida, curvata.

Culmus subtereti-fulcatus, nudus, solitarius, palmaris.

Umbella composita, glomerata.

Involucrum foliis duobus brevibus, rigidulis constat umbella brevioribus.

Involucella, squamae nonnullae scariosae.

Spiculae ovatae e

Squamis latis, obtusis, concavis, fuscis, albo-marginatis.

Stamina duo.

20. SCIRPUS *arvensis*, culmis compressis striatis, umbellis simplicibus, involucro monophyllo brevi.

E Zeylona milit *Honor. KÖNIG*.

Radices fibrosae.

Culmi bipedales, basi vagina fusca angulata bipollicari vestiti, compressi, striati.

Folium breve simul cum culmo e vagina exiens.

Umbella terminalis, simplex, 5-8 stachya. Raro pedunculus intermedius spicas duas pedicellatas gerit.

Involucrum plerumque monophyllum umbella brevius.

Spicae ovatae, fuscae, pedunculatae, e

Squamis lanceolaris, a basi sensim deciduis.

21. SCIRPUS *Polytrichoides* culmis compressis setaceis, spicis terminalibus solitariis subnutantibus monandris.

Gramen polytrichum Rump. *Amb. T. VI. p. 17. t. 7. f. I.*



Vulgatissimus in pascuis depressis subudis Zeylonae. D. KÖNIG.

Radices capillaceae, nigricantes.

Culmi cespitosi, depressi, 4 - 6 pollicares, setacei, compressi, striati, basi una cum foliis vaginata.

Folia breviora, filiformia.

Spica solitaria, subovata.

Bractea unica spica nonnihil brevior, acuminata.

Squamae ovatae, carinatae, obtusae, scariosae, apice fuscae.

Stamen solitarium, raro duo.

22. *SCIRPUS nutans* culmo compresso subtetragono nudo, spica ovata, solitaria terminali nutante.

In uliginosis Malaccae lectum dedit Cel. KÖNIG.

Radix fibrosa.

Culmi plures, spittamaci, filiformes, compressi, ex stria profundiore laterum angustiorum subtetragoni, basi squamis brevibus fuscis, dein vaginis 1 - 2 pollicaribus aphyllis vestiti.

Spica solitaria, terminalis, ovata, nuda, nutans, e

Squamis ovatis, integris, scariosis, subfuscis.

23. *SCIRPUS dichotomus* L.

Binas varietates e Zeylona misit Opt. KÖNIG.

α. bipedalis, umbella magna, diffusa, ramosissima.

β. semipedalis umbella parva parce ramosa.

utraque culmos habet nudos compressos, latere altero plano altero nonnihil convexo.

Fig. Pluk: t. 119. f. 3. verum icon ROTTB. t. XII. f. 1. et descriptio longe aliam innuunt plantam.

Semina in utraque varietate alba forte aliquam attentionem merentur.

24. *SCIRPUS lateralis* culmis triquetris nudis, spicis subternis lateralibus, involucro monophyllo brevi.

In Zeylona lectum dedit Clar. KÖNIG.

Culmi spittamaci - pedales, filiformes, triquetri, basi vaginati.

Folia conformia, sed breviora.

Spicae plerumque tres, quarum una pedunculata, paulo supra medium culmi egrediuntur. His saepius adest

Involucrum breve, monophyllum.

Obs. His itaque a *Scirpo supino* abunde differt. Flores describere nequeo, specimina enim nostra fructu maturo gaudent.

25. *SCIRPUS caribaeus* culmis fasciculatis setaceis sulcatis, spica minima ovata terminali. Friis Rottb. Descr. p. 46. t. XV. f. 3.

E Zeylona misit specimina Amiciff. KÖNIG exacte descriptioni et figurae a Nob. ROTTBÖLL datis respondentia, praeter triquetros culmos, quos observare non potui; in meis exemplaribus enim compressi sunt. Ceterum

Filamenta longitudine pistilli, et

Setae tres tantum.

Semen ab interiore latere planiusculum est, et ab exteriori dorsum elevatum habet, ut ovato - subtriquetrum dici potest.

26. *SCIRPUS aestivalis*, culmis depressis triquetris nudis, umbellis compositis involucratis, floribus monandris.

E Zeylona dedit Cl. KÖNIG, ubi vulgatissimus in fluviis fundo limoso sub Sirio exsiccatis.

Radiculae capillares, nigricantes.

Culmi triquetri, nudi, filiformes, bipollicares, depressi.

Folia filiformia, canaliculata, culmo plerumque longiora, hirta, basi cum culmo ope vaginae conjuncta.

Umbellae pedunculis simplicibus et umbellatis.

Involucra filiformia, hirta, foliolis 5 - 8 quorum tria umbella longiora sunt.

Involucella brevia, capillaria.

Spiculae tereti - subangulatae.

Squamae fuscae, carinatae, acuminatae, acuminibus divaricatis, monandrae.

27. KYLLINGIA *sumatrensis*, umbella terminali: spicis sessilibus pedunculatisque cylindricis squarrosis, involucrio universali polyphylo, partiali nullo.

In Sumatra lectum dedit plur. rever. Mag. WENNERBERG.

Solo defectu *involucris partialis* differt a *Kyllingia umbellata* Rottböllii, et forte huc potius, quam ad umbellatam pertinet.

Scirpus cyperoides. L. Mant. alt. p. 181.

28. SCLERIAE genus, quod in Act. Reg. Acad. Scient. Suec. 1765 condidit Nob. BERGIUS, omnino videtur distinctum esse, et a genere CARICIS diversum, pluresque species sub se comprehendens, omnes fere sub nomine *Caricis lithospermi* confusas.

Hujus character essentialis erit:

Spicula Masc. Gluma sexvalvi 1 - 2flora.

Foem. sexvalvi 1flora.

Semen globosum album nitidum.

Numerus *Stylorum* diversus est. D. BERGIUS unicum suis *Scleriis* tribuit, nostrae tres habent.

Calamagrostis Rumphii diversissimum ab his est; *carex* vero *Amboinica* ejus videtur hujus esse generis.

29. SCLERIA *poaeformis*, culmo aphylo, paniculae contractae ramis flexuosis, spiculis sessilibus: foemineis axillaribus, masculis bifloris.

Misit amiciss. KÖNIG.

Folia

Culmus trigonus, lateribus planis.

Pedunculus communis paniculae multangulus, reliqui trianguli.

Spiculae masculae teretes, alternae.

Folichum capillare, breve sub quovis paniculae ramo.

Facies fere Poae.

30. SCLERIA *tenuis*, culmo folioso, foliis inermibus, panicula capillari, floribus sessilibus: exteriore masculo, interiore foemineo.

Zeylonense gramen communicavit honor. KÖNIG.

Facies junci tenuioris.

Folia filiformia.

Panicula parva, parum divisa.

Flores omnes, praeter terminales ramulorum, sessiles intra squamas committentes, altero masculo exteriore, foemineo altero interiore.

31. SCLERIA *levis*, culmo folioso, foliis inermibus, paniculae ramis divisis involucriatis, spicis masculis sessili-pedunculatisque.

Ex India Orientali dudum habui.

Plurima cum *Scleria miti* Bergii l. cit. t. 5. habet communia, sed

Spiculae masculae sessiles et pedunculatae

- - *foemineae* omnes sessiles.

Foliolum l. *Involucrum* filiforme sub quovis ramulo paniculae.

Folia angustiora.

Culmus angustior.

32. *RESTIO articulatus* culmis teretibus articulatis, spica solitaria articulata.

E Tranquebaria communicavit *Clar. KÖNIG*.

Radix repens, horizontalis.

Folia (l. *culmi steriles*) filiformi-teretia, articulata, inter articulos inania, 2-3 pedalia.

Vaginae tres aphyllae, quarum 1^a brevissima tertiam pollicis partem, 2^a pollicem unum vel unum cum dimidio, 3^a quatuor ad quinque pollicum longitudinem aequat.

Culmus solitarius, crassitie pennae anserinae, 4-pedalis, tereti-articulatus.

Vaginae quales in foliis, sed longiores.

Spica ovata, squarrosa, pollicis ab apice culmi acuto remota spatio, lateralis.

33. *CENCHRUM granulare* Mant. alt. p. 575. e Sumatra et Malabaria possideo.

Uterque *folia* et *vaginae* pilosas, longis satis et albis pilis vestitas habet.

Bractae parvae flores in racemis distinguunt.

Racemi saepe plures quam duo ex eadem proveniunt vagina.

34. *SACCHARUM arundinaceum* paniculae confertae pedunculis divisis, flosculis geminis sessili pedicellatoque, corollis trivalvibus polygamis.

Colitur juxta sepes et ad stagnorum margines prope Tranquebar, alibi rarius. Inde misit *honor. KÖNIG*.

Culmi alti, usque ad 10 pedes, crassi, semi-inanes, foliosi.

Folia lata, verticillata, culmo approximata.

Panicula bipedalis, contracta, rachi tetragona.

Pedunculi verticillati, triquetri, articulati, divisi.

Flores bini, altero sessili hermaphrodito, altero pedicellato saepe masculo.

Calyx uniflorus, glumis aequalibus lana triplo fere longiore vestitis.

Corollae saepius trivalves, valvulis hyalinis calyce minoribus: una longiore acuminata.

Nectarium squamulae 2. l. 3. tenerrimae, hyalinae.

Stamina tria, in masculis saepe duo.

Styli barbati, nigricantes.

Tamulis *Pec-Carumbo*, id est: *Saccharum Daemonum*. *Culmi* toti saepe ad infimum tectorum stratum adhibentur, quum reliquis melius durent; sed refugium quoque praebent Serpentibus, Lacertis etc. haec tecta. *Cel. KÖNIG in litt.*

35. *PHALARIS dentata* Linn. Suppl. p. 106.

In exemplari meo glumae minime hirsutae sunt, sed glabrae ac nudae, e caractere itaque excludi debet *hirsuties*.

36. *PHALARIS aspera* panicula spicata tereti, calycibus obcordatis mucronatis.

Habitat in alpihus Europae meridionalis.

Radix annua, fibrosa.

Culmi spithamei, erecti, basi ramosi vaginati.

Folia angusta, nuda, brevita.

Panicula spicata, crassitie pennae anserinae, 1-4 pollices longa.

Calyx obverse cordatus, pallide viridis, durus, glumis aequalibus, superne ventricosis, mucrone terminatis, leviter carinatis.

Corollae glumae aequales.

Semen ovale, oblongum, minime compressum.

37. *PASPALUM longiflorum*, spica gemina, flosculis ovali - oblongis.

E Malabaria, ubi ad margines agrorum crescit, misit *hon. KÖNIG*.

Culmi adscendentes, filiformes, tenues.

Folia breviter acuta, patentia ad culmi basin; dein vagina ad basin fere culmi protensa in folium brevissimum terminatur.

Spicae 2 erectae, lineares culmum terminant.

Flores alterni, pedicellati, appressi.

Rachis plana, parum flexuosa.

Calyces ovales, acuti, plani, virides, striati, nudi, *Valvulis* aequalibus.

Corollae valvula altera calyci figura et magnitudine conformis, altera minor.

Facies Panici distachyi.

Huic generi potius quam *Milii* associari putō.

38. *PANICUM setigerum*, spicis remotis, flosculis secundis, racheos dentibus setigeris.

E China misit *Cel. BLADH*.

Culmi filiformes, ramosi, foliosi.

Folia bipollicaria, basi subcordata, marginibus vaginarum ciliatis.

Spicae inferiores remotae, superiores saepe verticillatae, breves.

Flores secundi, geminati, vere sessiles, altero tamen situ altiore.

Rachis depressa, dentibus pro flosculis manifestis seta una vel altera ab utroque flosculi latere instructis.

Calyx ovatus, acutus, valvula accessoria brevi, lata.

Obs. *Panicum repens* Burm. Fl. Ind. p. 26. T. 11. f. 1. quod a *Panico* ejusdem nominis apud Linneum uti etiam a *Panico grossario* ejusdem diversissimum est, huc pertinere credo.

39. *PANICUM flavidum* culmo folioso, spiculis remotis sessilibus appressis secundis paucifloris.

E Zeylona misit *hon. KÖNIG*.

Gramen erectum a bipollicari ad semipedalem altitudinem excrescit.

Radix fibrosa, fibris indivisis.

Culmi plures erecti, ad infimam spicam usque foliis glabris vestiti.

Rachis elongata.

Spiculae 3 - 7 breves, plerumque sexflorae, erectae, sessiles, appressae tres pollicis quartas partes inter se remotae.

Flores globosi, alterni, secundi, flavi, viridi - nervosi.

Calycis glumae omnes apice violaceo.

Obs. Multum affine *Panico-Brizoidi*, quod vero majus est, viride, foliis longioribus, vaginis relative angustioribus. *Spiculae* floribus usque ad 13 ovatis albis immaculatis instruuntur. Ill. a LINNE in Mantissa huic scil. *P. Briz.* adscribit spiculas longitudine internodiorum et flores triplici serie dispositos, quae in nostro exemplari non inveniuntur.

40. *PANICUM squarrosum*, spicis geminis horizontalibus, involucris florum squarrosis, culmis decumbentibus.

In arenosis Malabariae tempore pluviolo frequens.

Gramen facie et structura adeo singulare, ut proprium videatur constituere genus. Cl. autem KÖNIG, cui id debeo, Panicis adjunxit.

Culmi prostrati, radican-tes, ramosi, foliosi.

Folia brevia, conferta, cum vaginis tomentosa.

Pedunculus elongatus, erectus, nudus, terminatur.

Spicis binis horizontaliter divergentibus, secundis, squarrosis.

Rachis membranacea, dilatata, flexuosa, articulata. Cuique articulo adhaeret

Fasciculus florum involucris vel bracteis difformibus cartilagineis obvallatus, bi - tri - florus.

Calycis valvula altera maxima ovata acuminata flexuosa, altera minore lanceolata: utraque vero dura cartilaginea uti bracteae. *Valvula accessoria* parva, acuta, sub maiore.

Corolla lanceolata, magnitudine glumae calycinae minoris.

Spicam terminat fasciculus florum sterilius.

Facies nonnihil *Cenchræ*.

41. *PANICUM umbrosum*, spicis subquaternis remotis, flosculis geminis inaequaliter pedicellatis, culmo repente flaccido.

Habitat in graminosis umbrosis Indiae Orientalis.

Misit *Cel. KÖNIG*.

Culmi filiformes, pedales, adscendentes, foliosi, debiles ad genicula radices emittunt.

Folia lineari - lanceolata, brevia, nuda.

Spicae subquaternae, rachi depressa.

Flosculi secundi, sub - binati, ovati, acuti, uterque plerumque pedicellatus: pedicellis inaequalibus.

Calyx viridi - striatus, hinc convexus, illinc planus, valvula accessoria brevi albida.

Corolla magnitudine et forma calycis, minime rugosa.

Stigmata fusco - nigricantia.

Semen album, a latere planiori marginatum.

42. *PANICUM ciliare*, spicis subdigitatis approximatis erectis linearibus, rachi flexuosa: dentibus bifloris, calycibus ciliatis.

E Java et China adtulit *honor. WENNERBERG*.

Adeo simile *Panico filiformi*, ut facillime confundantur.

Gramen sesquipedale, basi ramosum.

Calycis gluma exterior minor lanceolata, interior major longitudine corollae, utraque margine pilosa.

Valvula accessoria est squamula vix observabilis, saepe etiam deficiens.

Corolla glaberrima.

Flores lanceolati, acuti, altero sessili.

Variat foliis plus minus vaginis geniculisque pilosis et nudis.

Obs. In *Panico Aegyptio* Fasc. III. *valvula accessoria* est, denticulus minutus, *calycis valvula exterior* brevis, ovato - lanceolata, nuda.

In *Panico filiformi* vix major est *valvula accessoria*, sed *valvula exterior calycis* longior et lanceolata.

In *Panico sanguinali* *valvula accessoria* cum *Panico Aegyptii* coincidit, sed *calycis gluma exterior* magis ovata.

Forte haec quatuor *Panica* nihil praeter varietates sint.

43. *PANICI flexuosi* in Fasc. III. descripti varietatem omnino glabram in Agris Oryzaceis passim obvenerunt habui ab *amicijs KÖNIG*.

44. PANICUM *ischaemoides* panicula erecta contracta, calycibus bifloris polygamis acutis, culmo simplici, foliis distichis rigidis.

Vulgatissimum Malabariae in udis ad margines stagnorum gramen, proceritate
reliqua Panica excedens. Cel. KÖNIG.

Culmi erecti, simplicissimi, foliosi.

Folia disticha, patentia, vaginis margine tomentosis.

Paniculae rami erecti, pauci, ad dimidias nudi stricti; pars florifera vero flexuosa.

Flores plerumque binati, altero pedicellato.

Calyces acuti, biflori, valvula accessoria brevissima truncata.

Corollae longitudine calycis, altero hermaphrodito, altero masculo.

Semen ovatum, planiusculum.

Gramen totum exalbidum.

45. PANICUM *antidotale*, panicula nutante, calycibus bifloris polygamis acutis, culmo erecto ramosissimo.

Colitur in hortis Malabarorum. HONOR. KÖNIG.

Radix perennis, stolonifera.

Culmi octopedales et ultra, erecti, ramosissimi.

Folia margine aspera, etiam nervis majoribus licet minus.

Vaginarum Ora pilorum albidorum fasciculis fimbriarum more barbata.

Panicula pedalis, ramosissima, nutans.

Pedicelli biflori, ita ut unus flos in pedicello alterius subsessilis sit.

Flosculi copiosi, virides, tereti-acuminati.

Calyces biflori, valvulis acutis etiam accessoria, quae tertia parte brevior.

Corolla hermaphrodita dipetala, mascula mihi monopetala vifā.

Semina ibi nunquam profert, sed stolonibus propagatur, quare aliunde allatum existimat D. KÖNIG.

Nigri hoc utuntur præcipue ad Ulcera Nasi, etiam ut discutiens in aliis casibus vel tritum, vel in Cataplasmat decoctione redactum. *Idem.*

46. PANICUM *remotum*, paniculae ramis triquetris, flosculis subgeminatis:
altero pedicellato, culmo ramofo tetragono compresso.

E Tranquebaria misit Opt. KÖNIG.

Culmi bipedales et ultra, tenues, compresso-tetragoni, ramosi.

Folia linearia, 4 - 6 pollicaria, angusta, nuda.

Panicula ramis trigonis, capillaribus, remotis, solitariis, suboctonis.

Flosculi remoti, plerique solitarii, sessiles et pedunculati: hinc inde geminati, tuncque alter sessilis, alter pedicello longo instructus, ovati, albidi.

Pedicelli quoque triquetri.

Calyx subaequalis, albidus, viridi-striatus, valvula accessoria ovata.

Semen album, ovatum, planiusculum.

47. PANICUM *aristatum*, culmo repente radicante, paniculae ramis indivisis, flosculis binis sessilibus aristatis.

E China adduxit *plur. rever.* D. WENNERBERG,

Culmus ramosus, longe repens, ad genicula radices longas simplicissimas emittens, dein recta assurgens, supra folia pubescens.

Folia lanceolata, nuda, brevia.

Vaginae ciliatæ, inter articulos dehiscentes.

Panicula stricta, ramis paucis erectiusculis, simplicissimis.



Flosculi plerumque bini, rarius terni vel solitarii, sessiles.

Involucra setacea, numero variantia, alba.

Calycis *vale.* *extima* lanceolata, longitudine fere floris, arista triplo longiore recta terminata.

• *altera* ovata, flore dimidio brevior, arista brevissima terminali instructa.

• *tertia* corollam amplexans, major, latior, mutica; omnes virides, striatae.

Corolla lanceolata, aequivalvis, candida.

48. *PANICUM muricatum*, panicula patente, floribus solitariis muricatis, culmo radicante adscendente.

Misit Cel. KÖNIG.

Gramen sesquipedale.

Culmus filiformis, basi decumbens, hinc inde radicans.

Folia breviter, perfecte lanceolata, pilis albis sparsis.

Panicula ramis brevibus solitariis ramulosis, ad angulum acutum patentibus.

Flores parvi, solitarii, sessiles pedicellatique, obliqui.

Calycis *gluma* *cava* brevior fere cymbiformis.

• *planiuscula* longior: utraque muricato-scabra.

• *accessoria* parva, lanceolata, striata, sub antecedente posita.

Corolla obliqua, glaberrima.

49. *PANICUM notatum*, panicula patente: axillis notatis, foliis lanceolatis ciliatis.

In Sumatra lectum dedit nuper nominatus D. WENNERBERG.

Gramen altum.

Culmus tenuis, geniculis nigris.

Folia lanceolata, acuminata, levissime pilosa, margine ciliata, 5 pollices longa et $\frac{3}{4}$ poll. lata.

Vaginae articulis breviores, oris barbatis.

Panicula fere pedalis, ramis longis ad angulum acutum patentibus scabris, in axillis nigro-notata.

Flores sparsi, solitarii et binati, pedicellati, oblongi, acuti, parvi.

Calycis *glumae* binae interiores aequales, purpurascens, *valvula* *accessoria* parum brevior albida; omnes lanceolatae.

Corolla longitudine et forma calycis.

50. *PANICUM radicans*, paniculatum, culmo ramoso radicante, foliorum basi vaginisque longitudinaliter ciliatis.

Ad Canton lectum dedit Honor. WENNERBERG.

Gramen pedale, tenue, glabrum.

Culmus usque ad paniculam foliosus, decumbens, ad genicula fibras longas simplicissimas solitarias radicales demittens.

Folia lineari-lanceolata, acuta, sesquipollicaria, basi utroque margine ciliis longis albis instructa.

Vaginae longitudinaliter ciliatae.

Panicula bipollicaris, tenuis, erecta.

Flores parvi, pedunculati, obliqui, obtusi, purpurei, nudi.

Calycis *valvula* *accessoria* acuta, longitudine dimidia planioris.

Obs. Simile *Panico trigono* Falc. III. etiam seminum forma. Vix hoc gramin sub varietate angustifolia *Panici brevifolii* intellexit Equ. a LINNE.

51. *AGROSTIS linearis*, spicis subquaternis digitatis, flosculis unilateralibus alternis appressis muticis.

Misit *bonor.* KÖNIG. Ad viarum publicarum margines tempore pluvioso vulgatissimum.

Gramen canescens, semipedale, simile *Panico lineari*.

Culmi praesertim basi foliosi.

Folia brevina, angusta, disticha, patentia.

Spicae tres, quatuor umbellatae, vix pollicares.

Rachis linearis, flexuosa.

Flosculi alterni, sessiles, secundi, rachi appressi.

Calycis glumae subulatae, patentes.

Corolla major, gluma exteriore maiore minorem obvolvens.

Antherae ratione graminis grandes.

52. *AGROSTIS procera* paniculae pedunculis racemosis erectiusculis, floribus hirsutis muticis lanceolatis.

In graminosis subhumidis Malabariae frequens. KÖNIG.

Culmi adscendentes, quadripedales et ultra, ramosi, foliosi, geniculis fuscis villo tenui albo obductis.

Folia angusta, nuda, semipedalia.

Panicula spithamea, pedunculis solitariis erectiusculis racemosis.

Pedicelli clavati.

Flores lanceolati, compressi, acuti, hirsuti.

Calycis glumae subaequales, altera fusco-purpurascens, altera viridi, utraque planiuscula, ita ut calycis margines non plano seminis lateri, sed margini ejus respondeant.

Corollae glumae minores, ejusdem situs, inaequales.

Antherae flavae.

Stigmata purpureo-nigricantia.

Semen album, ovatum, planiusculum, hinc marginatum.

53. *AGROSTIS coromandeliana* panicula ovata patente, pedunculis simplicibus, floribus secundis muticis, calycibus aequalibus acutis nitidis.

In aridis duris Malabariae legit *indefessus* KÖNIG.

Gramen semipedale, canescens, rigidum a pecoribus non tangitur.

Radices numerosae, flexuosae, fetaceae, rigidae, albae.

Culmi adscendentes, filiformes, sulcati, basi foliosi, vagina longa demum vestiti, quae sine foliolo plerumque terminatur.

Folia radicalia, pollicaria, latiuscula, lanceolata, carinata, acuta, rigida.

Panicula ovata, rara, pedunculis verticillatis patentibus subtus florigeris, ut mihi videntur viscosis, spatio a pedunculo communi remoto nudis.

Flores minuti, breviter pedicellati, nitidi.

Calyx aequalis, valvulis acutis nigricantibus.

Corolla paulo minor, valvula altera obtusiore.

Semen flavescens, pellucidum.

54. *POA nutans*, panicula contracta apice nutante, spiculis decemfloris, valvulis reversis.

In Tranquebaria misit *Cel.* KÖNIG, ubi ad margines agrorum et in agris *Oryzae* minus submersis sat frequens esse scripsit.

Culmi bi- tripedales, teretes, erecti, simplices.



Folia angusta, brevina.

Paniculae contractae rami semiverticillati.

Spiculae subrubentes vel viridi-albicantes, lineares, subdecemflorae.

Valvula corollina exterior apice deflexo marginibusque reversis.

55. POA *cynosuroides* panicula stricta pyramidalis, pedunculis patentissimis, spiculis dependentibus distichis.

Habitat in aridis sterilibus I. Or. Cel. KÖNIG.

Culmi bipedales, solitarii, teretes, erecti, basi vestiti foliis distichis reflexis. In culmo praeterea

Folia 2 - 3 convoluta.

Panicula tereti-pyramidata, saepe culmo longior, sub florescentia colore sanguineo insignis.

Pedunculi terni - verticillati, horizontales, sensim superiora versus breviores.

In his distiche posita sunt

Spiculae confertae, numerosae, multi (10) florum, dependentes.

Calyx valvulis inaequalibus.

Corollae valvulae acutae, carinatae.

56. POA *plumosa*, panicula diffusa, calycibus sexfloris, valvulis corollarum interioribus linearibus recurvis dorso ciliatis.

E Tranquebaria misit amiciss. KÖNIG.

Radices fibrosae.

Culmi plures conferti $\frac{1}{2}$ ad 1 pedales, filiformes, foliosi.

Folia 1 - 2 pollicaria, linearia, levia, vaginis ore pilis longis albis terminato.

Panicula diffusa, pedunculis ramosis flexuosis.

Flores numerosi, minuti.

Calyx subaequalis, acutus, carinatus, valvula exteriori si vitro intueatur minutissime dorso ciliatus, 5 - 6 florus.

Corollae gluma exterior valvulae calycinae exteriori similis, sed aliquantulum major.

interior angusta, recurva, dorso ciliata, ciliis tamen quam in Poa ciliari minoribus.

Obs. Flores lente vitrea inspecti pellucidi pulchrum offerunt spectaculum seminibus etiam pellucidis transparentibus. A Poa ciliari L. differt forma paniculae, floribus et ciliis minoribus.

57. POA *amboinica* L.

Quod sub hoc nomine communicavit gramen Cel. KÖNIG

Culmum habet evidenter compressum,

Paniculam brevem contractam spiciformem, et

Corollarum valvulam interiorem linearem curvatam et ciliatam ut Poa ciliaris, a qua tamen differt

Ciliis multoties minoribus,

Culmis depressis et

Foliis brevibus, vix pollicaribus.

Obs. Errore factum est, ut in Mantiss. Plant. altera ad Poam amboinica citetur Phoenix amboinica Rumphii Herb. VI. p. 19. t. 7. f. 3. Haec enim figura ut et descriptio ab hac maxime aliena est.

58. POA *viscosa* panicula oblonga patente, spiculis inferioribus trifloris: superioribus duodecimfloris, culmis rigidis demum viscosis.

In glareosis aridis Malabaricae minus frequens tempore calido viget. Cl. KÖNIG.

Radices articulatae, stoloniferae culmorum foliosorum fasciculos emittunt.

Culmi spithamaei, teretes, rigidi.

Folia filiformia, convoluta, disticha, breviter, rigidula.

Panicula ovato-oblonga, pedunculis brevibus patentibus ramosissimis.

Spiculae lineari-lanceolatae, inferiores pauciflorae (3 - 5), superiores multiflorae (12 - 13.)

Calycis gluma altera longior, altera brevior proxima gluma corollina.

Corollinae glumae similes Poae amboinicae, valvula scil. interiore lineari versus exteriorem recurva et dorso parum ciliata.

Color paniculae saepius viridescens, alias incanus, non raro sanguineus.

Obs. Culmi, pedunculi, pedicelli et calyces viscida materia obducti, qua fit, ut obambulantium soleae et fibulae inviscantur, totaeque glumis obducantur. Odor terebinthinaceus atmosphaeram praecipuis vespertino tempore replet et obambulantes haud ingratis afficit.

59. *FESTUCA indica* panicula contracta erecta, spiculis compressis subaristatis subsexfloris.

Tsiamia pullu Rheed. Mal. T. XII. t. 45.

E Tranquebaria dedit amic. KÖNIG, ubi in agris Oryzaceis crescit, in submersis erectis, in siccioribus decumbentibus culmis.

Facies omnino Poae.

Culmi tripedales et ultra, crassitie pennae columbinae, striatus, foliosus.

Folia linearia, vaginis basi tumidis.

Panicula semipedalis, erecta, contracta, ramis simplicibus.

Spiculae compressae, 6 - 8 florum, parvae, alternae, breviter pedicellatae.

Calyx inaequalis, gluma exteriore majore carinata: interiore minore plana.

Corollae glumae subaequales, leves, exterioris nervo in aristam brevem plerumque terminato.

Obs. Colore coeruleo-viridi e longinquo dignoscitur. Paniculae dimidia pars simul floret et patet, dein contrahitur florente altera parte.

60. *ARUNDO bifaria* culmo erecto folioso, foliis bifariis, panicula coarctata, calycibus trifloris.

Habitat ad margines stagnorum et fossarum in India Orientali. Cel. KÖNIG dedit.

Culmi erecti, crassitie digiti minoris, foliosi.

Folia conferta, bifaria, patentissima, plana, pollicem lata, spithamaea.

Panicula erecta, contracta.

Calyx triflorus: valvulis acutis, trinerviis, membranaceis, exteriore angustiore nonnihil longiore.

Corollae gluma exterior longa, subaristata, ventricosa, extus lanata.

interior duplo brevior, hyalina, emarginata, nuda.

Antherae flavae.

Stigmata barbata, viridi-coerulea.

Flos tertius saepe neuter.

Malabaris Nana Gadhi, ad tecta usurpatur, minus bene licet tegat. Cel. KÖNIG.

61. *ARUNDO karka* calycibus unifloris nudis flore subulato intus lanato multo brevioribus, panicula secunda nutante.

Dedit Cl. KÖNIG.

Culmus altus, priori angustior, inanis.

Folia longa, digitum transversum lata, scabra.
Panicula bispathamaca, contracta, secunda, nutans, rachi sulcato-multangula.
Pedunculi semiverticillati, sulcati, non articulati, longi, inaequaliter divisi.
Flores sparsi, pedicellis longis capillaribus innixi, solitarii, subulati.
Calyx uniflorus, linearis, striatus, nudus, inaequalis, corolla multo brevior.
Corolla lineari-subulata, calycis gluma majore duplo longior: glumis striatis fere aequalibus convolutis extus nudis.

Lana longitudine corollae germen cingit.

In India Orientali vulgarissima ad tecta Indorum utitur. *Panicula* a ventis facillime mota directionem eorum indicat. KÖNIG.

62. ARISTIDA *setacea* culmo erecto, aristis scabriusculis.

In aridis sterilioribus Malabariae *Cel.* KÖNIG, unde sub nomine Aristidae arundinaceae misit. Ab hac vero certe diversa.

Culmi stricti, simplices uti ex nostro exemplari videtur.

Panicula contracta.

Calyx uniflorus: *valvula* interiore longiore tenuiore fere aristaeformi: *exteriore* parum brevior carinata, acuminata.

Corolla basi lanata, ceterum nuda.

Aristae scabriusculae.

Inter utilissima Indorum gramina. *Scopae* inde conficiuntur, ad dentes petinum textorum adhibentur; chartae confectores loco fili Orichalcei illo utuntur; acum vices subit ad Templa floribus ornanda, ad patinas e foliis conficiendas etc. *Cel.* KÖNIG in litt.

63. ARISTIDA *depressa* culmis trifido-ramosis decumbentibus, aristis scabriusculis.

Habitantem invenit *honor.* KÖNIG in sterilioribus Malabariae cum priori.

Culmi decumbentes, filiformes, plerumque trifido-ramosi, sesquipedales.

Folia angustissima, vix convoluta.

Panicula subsecunda.

Calyx uniflorus, valvulis carinatis acutis albis dorso viridi, exteriore dimidio brevior.

Aristae scabriusculae.

Corolla uti praecedentis basi tantum lanata.

Multum similis priori differt culmo, glumarum calycinarum longitudine relativa et forma. *Flores* ut etiam *Aristae* minores, breviores, minus divaricatae.

Aristae tertiae longitudo prae ceteris in distinguendis Aristidae speciebus vix aliquid valet.

64. OLDENLANDIA *pentandra* floribus pentandris monogynis, foliis linearibus, pedunculis bifloris.

E Tranquebar misit *Cl.* KÖNIG.

Similis *Oldenlandiae biflorae*, sed major, semipedalis.

Caulis erectus, pubescens.

Folia opposita, sessilia, linearia, integerrima, pubescentia.

Pedunculi axillares, solitarii, simplices, apice bifidi, foliis breviores.

Petala 5 parva, albida cum tinctura rubra.

Calyx 5 dentatus, pubescens.

Stamina 5.

Pistillum 1.

65. *OLDENLANDIA digyna* floribus pentandris digynis sessilibus, foliis lanceolatis.

E Tranquebaria etiam misit *Cel. KÖNIG*.

Facies ab Oldenlandiis aliena.

Caules ramosi, decumbentes.

Folia lanceolata, integra sessilia.

Flores axillares, sessiles vel brevissime pedunculati.

Calyx 5 - fidus tubo globoso.

Petala 5 minuta, alba.

Stamina 5.

Styli 2.

Capsula bilocularis, bivalvis.

66. *OLDENLANDIA trinervia* caule decumbente, foliis ovatis trinerviis, floribus verticillatis axillaribus, capsulis hispidis.

In umbrosis declivibus solo arenoso humido praecipue sub *Pandano* crescit.

Cel. KÖNIG, qui communicavit.

Radix ramosa, tenuis.

Caules depressi, angulati, ramosi.

Folia opposita, petiolata, lato-ovata, integerrima, trinervia, subpilosa.

Flores axillares, verticillati, breviter pedicellati.

Fructus didymus, 4 - dentatus, hispidus.

67. *HEDYOTIS hispida* foliis lineari-lanceolatis, floribus verticillatis.

E Canton adduxit *honor. WENNERBERG*.

Caules semipedales, decumbentes, quadranguli, hispidi, ramo uno alterove.

Folia petiolata, lineari-lanceolata, acuminata, integra, utrinque hispida.

Petoli maxime hispidi, cum *stipulis* filiformi-laceris connati vaginam brevem constituunt.

Flores verticillati pedicellis vix observandis innixi.

Calyx hispidus, dentibus acutis.

Corolla infundibuliformis, laciniis acutis.

Stamina longitudine corollae.

Stylus staminibus longior, clavatus.

Stigma incrassatum.

Capsula semibilocularis, dissepimento in medio capsulae evanescente nec apicem attingente, polysperma.

68. *SPERMACE sumatrensis* hispida, foliis lanceolatis, corymbis terminalibus dichotomis.

In Sumatra lectam dedit *Cel. WENNERBERG*.

Caulis herbaceus, tetragonus, tomentosus, articulis longis. *Rami* oppositi.

Folia lanceolata, petiolata, integerrima, hispida, nervis subtus tomentosis.

Corymbi terminales e racemulis dichotomis.

Calyx minutus, 4 - dentatus.

Flores infundibuliformes.

Fructus dispermus, 4 - dentatus.

69. *EMBELIA Burmanni*.

De charactere hujus generis essentiali nihil certi pronunciare audeo, non visa specie Burmanniana, fide autem *Opt. KÖNIG* binae ejusdem sunt Species, scil,



EMBELIA *Ribes* foliis obovatis alternis. Burm. Fl. Ind. p. 62. t. 23. et
EMBELIA *Grossularia* foliis ovato-lanceolatis oppositis, floribus tetrandris.

Hanc e Tranquebaria communicavit Cel. KÖNIG.

Arbor ramis oppositis.

Folia ovato-lanceolata, integerrima, pallide viridia, petiolata, nervosa.

Racemi compositi, terminales ramorum, e foliorum axillis prodeunt.

Flores parvi, albescentes.

Calyx inferus, monophyllus, cavus, 4-fidus, laciniis rotundatis.

Stamina 4.

Filamenta ad divisuram corollae adnato-decurrentia, supra divisuram petalo breviora.

Antherae subrotundae, compressiusculae, ab utroque margine dehiscentes.

Saepe alter tantum margo dehiscit, unde trigona apparet.

Pistillum.

Germen globosum, superum

Stylus nullus.

Stigma capitatum.

Fructus Bacca.

Obs. Hujus generis mihi videtur *Ribesioides* Linn. Flor. Zeyl. 403. quamvis pentandra sit et pentapetala dicatur, quod ultro examinandum.

70. CELOSIA *nodiflora* L.

Calycis loco *bracteae* 1-3 lineares.

Corolla pentapetala.

Stamina basi nectario affixa.

Stigma capitato-didymum.

Semen unicum, lenticulare, basi emarginatum in

Capsula circumscissa.

Varietates duas habeo

α. foliis oblongis, capitulis pedunculatis

β. — brevibus subrotundis cum acumine, capitulis sessilibus
priorem e Sumatra, alteram e Malabarica.

71. CRESSA *indica* corollarum apicibus barbatis, capsulis tetraspermis.

Habitat in falsis Indiae Or. Viget a Februario in Iulium Cel. KÖNIG.

Adeo similis *Creffae creticae* ut ovum ovo, sed differt

Corollis niveis extus pilosis, praesertim ad apices laciniarum,

Capsulis tetraspermis.

CRESSA CRETICA itaque corollis imberbibus, capsulis monospermis dicenda.

72. CAMERARIA *zeylanica* foliis ovato-lanceolatis transverse venosis.

Apocyno-Nerium Linn. Fl. Zeyl. 404. ubi descriptio.

E Zeylona ramulum misit Cel. KÖNIG.

73. HELIOTROPIUM *malabaricum* foliis ovatis plicatis strigosis integerrimis, spicis subfoliariis.

Habitat in Malabarica.

Ut varietatem *Heliotropii Europaei* Cel. BURMANN in Flor. Ind. pag. 40. iconemque dedit in tab. 16. f. 1. ab hoc vero facile distinguitur

Strigositate totius plantae,

Foliorum plicis et parvitate

Petiolis brevibus

Spicis saepe quidem geminis, verum non conjugatis

Calycibus minime imbricatis, sed distinctis majoribus, semina etiam matura obvolventibus.

74. *IPOMOEA paniculata*, caule volubili, foliis ovatis acuminatis, pedunculis paniculatis. *Burm. Fl. Ind. p. 50. t. 21. f. 3.* descriptioni adde

Caules versus fines, folia tenuiora, pedunculi et calyces tomentosi.

75. *POLYGONUM barbatum* L.

Tres mihi sub hoc nomine in Herbario plantae sunt, quas ab autoptis ut vivae examinentur opto.

1. in *Cbina* lecta

Folia et Ochreas habet hispidas,

Ochreas denique et *bracteas* ciliatas habet.

2. e *Malabaria*

tota glabra.

Ochreae tantum denticulatae.

Bractee integerrimae.

3. e *Capite B. Spei*

tota glabra.

Ochreae et bractee ciliatae.

Staminum et stylorum numerum in ficcatis plantis tuto eruere non potui.

76. *TURRAEA virens* L. *Mant. alt. p. 237.* habet

Stipulas geminas lineares,

Ramulos tetragono-compressos,

Flöres in paniculis brevibus axillaribus,

Petala lanceolata, obtusa.

77. *MELASTOMA octandra* L.

In *Systemate Nat. Ed. XIII.* non minus quam in *Generosissimi Auctoris Flora Zeylanica* ad hanc per errorem certe relata fuit *Cel. BURMANNI*

Melastoma scabra trinervia *Thes. Zeyl. p. 154. t. 72.* quae figura sine dubio ad *Melastomam asperam* L. pertinet.

Si vero *Fragarius ruber* vel *niger* *Rumphii* vel neuter hanc designabit difficile est dictu.

Melastoma autem *Osbeckii*, quam in *itin. p. 213.* describit et *octandra* *Linn.* est, planta est procumbens, nec frutex vel suffrutex, quae numero fructificationis variat. Examinaui enim varia specimina, quibus

Calyx urceolatus, squamato-echinatus, sexfidus, apicibus ciliatis, interjectis sex denticulis ciliatis.

Corolla sexpetala, *petalis* ciliatis,

Stamina. Filamenta 5 compressa, antherifera, *antheris* oblongis.

5 alia clavata cum prioribus alterna, *antheris* nullis.

Foliorum forma, hispeditas in margine et nervorum numerus ternarius notae sunt constantes.

78. *AMYRIS zeylanica* foliis pinnatis petiolatis glabris, racemis interruptis axillaribus, floribus involucreis hexandris.

In *Zeylona* detexit indeque communicavit *amic. KÖNIG.*

Arbor cortice cinereo.

Folia pinnata, quina vel septena: foliolis petiolatis ovatis, acutis, integerrimis, nudis, venis fere transversalibus.



Pedunculus axillaris, elongatus, tomentosus, in quo glomeri nonnulli florum involucrati: infimus pedicellatus, superiores sessiles.

Involucra cordata, tomentosa, sessilia.

Calyx subglobosus, tridentatus, coriaceus, tomentosus, corolla major.

Petala tria cava, extus tomentosa, margine fusco nudo.

Stamina 6.

Drupa sicca, ovata, sesquipollicaris.

Nux ossea, crassa, praeter loculamentum pro nucleo bina habet in ipsa substantia ossea nuci parallela foramina, quasi trisperma esset nux.

Elemi fundit haec arbor, quae verum est *Elemi officinarum* Orientale ab Americano ejus nomine diversum.

Quamvis numerus partium fructificationis differat, genuinam credo *Amyridis* speciem.

79. *LIMONIA acidissima* L.

Ramulum misit *Cel. KÖNIG* spinis destitutum, simulque in Litteris observavit, illam ad *Crataevae* genus amandari debere.

80. *MEMECYLON grande* foliis acuminatis.

Communicavit honor. *KÖNIG*.

Arbor grandis.

Rami teretes.

Folia opposita, integerrima, semipedalia, ovata, longe acuminata.

Pedunculi axillares, alterni, 4 - l. 5 - fidi, pedicellis multifloris.

Antherae incumbentes, omnes curvatae, an ab exsiccatione?

81. *LEDUM groenlandicum* Prodr. Fl. Scand. 436.

Quae de hoc in libro cit. attuli, jam confirmarunt specimina tum ejus, tum *Rhododendri Daurici* in Groenlandia ab autopta plur. rever. D. OTHONE FABRICIO lecta mihi benevole communicata. *Rhododendron Dauricum* itaque in Groenlandia etiam crescit; ideo tamen a Nob. OEDER in Florae Dani- cae Fascic. X. tab. 567. depictus et nominatus fruticulus *Ledi* species genuina est, quae, ut mihi videtur, a *LEDO palustri* satis differt foliis ovalibus, staminibus corolla brevioribus; sed quum folia in *Ledo Groenlandico* magis sint ferrugineo-tomentosa, etiam sub revoluta margine, character *Ledi palustris* ita corrigi debet, ut dicatur

Ledum foliis linearibus, staminibus corolla longioribus.

82. *EUPHORBIA rosea* dichotoma, foliis obovatis basi obliquis apice denticulatis, caule depresso diffuso.

Habitat in arena mobili Indiae Orientalis, ibique per totum annum viget. *Cel. KÖNIG*, qui plantam communicavit.

Radix subsimplex, spithamaea, subtortuosa, recta descendens.

Caules depressi, in orbem diffusi, teretiusculi, articulati: articulis nodosis, dichotomi, leviter hirsuti.

Folia ad genicula opposita, breviter petiolata, obovata, superiora obverse lanceolata, basi obliqua, apice denticulata, nuda.

Flores ad apices ramorum congesti, masculi hermaphroditis mixti, petalis pulcherrime roseis.

Capsulae glabrae.

83. *MYRTUS laurinus* pedunculis racemosis bracteolatis, foliis ovato-lanceolatis serrulatis glabris.

Burm. Thes. Zeyl. p. 139. t. 62. ubi descr.

E Zeylona misit amic. *KÖNIG*.

84. *ROSA pimpinellifolia* L.

In horto e feminibus a *Clar. D. EHRHART* benevole communicatis excrevit, et tertio anno floruit. Descripta a *Cel. DU ROI* in *Obs. Bot.* p. XXII. Circa quam descriptionem monuisse juvabit, quod

Caules non decumbentes, sed erecti in nostra.

Calycis lacinae margine interiore villoso, apicesque dilatatae, bi-trifidae.

Flos magnitudine *Rosae caninae* albus, rubore levi hinc inde superfusus.

Petoli subtus aculeati, et saepius quoque costae foliorum.

Foliorum ferraturae apice glandulosae.

Stipulae ferratae, ferraturis glandulosae.

Obs. Si haec *Rosa scotica Milleri* sit, nescio, quid per *foliola apice incisa* intelligat.

85. *ELAEOCARPUS copalliferus* foliis integris.

E Zeylona misit *honor. KÖNIG.*

Arbor.

Folia magna, ovata, coriacea, integerrima, nervis transversis.

Flores paniculati.

Calyx ad basin quinquepartitus, superus, laciniis lineari-oblongis obtusis utrinque tomentosis, persistens.

Corolla pentapetala, petalis calyce longioribus ovatis integris.

Stamina 40 plura, filamentis brevissimis.

Antherae longae, lineares, apice bifido filiformi.

Germen conicum, striatum, tomentosum.

Stylus antheris longior, angulosus.

Stigma simplex, acutum.

Fructus, *Pomum* conicum, carnosum, resinofum, uniloculare.

Semina.

Obs. *Antherae* lineares longae filis cirrhosis terminatae meliorem characterem sistere mihi videntur, quam *Petala lacera*.

Resinam *Copal* dictam fundit, huius vero plures sunt species.

86. *ELAEOCARPUS ferrata* quam e Zeylona communicavit *honor. KÖNIG*, habet

Folia obovata, ferraturis longis,

Calycem laciniis ternis, quaternis et quinis acutis carinatis,

Petala tria tripartito-lacera.

Stamina 25,

Antheras filis cirrhosis terminatas,

Germen multum tomentosum.

Icon Burmanni bene cum hac convenit.

87. *PEDICULAREM* e Groenlandia in *Prodr. Florae Scandin.* p. 117. n. 680.

sub nomine *Pedicularis incarnatae* dubie proposui. Ipsam *Pedicularem incarnatam* e Sibiria nunquam vidi, nec adhuc librum *Allioni*, quem quotidie exspecto, accepi; video autem, me perperam l. cit. applicasse verba, sed *calyces villosi acutiores* in *Spec. Plant.* occurrentia, et haec ad plantam *Allioni* referenda esse. Sed aliae occurrunt difficultates, quae nostram cum *P. incarnata* conjungere prohibent. Ait scil. *Gener. Eques* in *Spec. Plant.* *folia radicalia pedalia* esse, *pinnaeque pinnatifidas* habere, *spicas nudas calycesque semiglobosos et galeas acutas* ei tribuit, quae omnia in nostra aliter se habent, ut ex icona in *Tab. I.* proposita patet.

88. *SESAMUM javanicum* foliis lanceolatis ferratis sessilibus. *Burm. Fl. ind.*
p. 133.

Caulis tetragonus.

Folia ferrata, non dentata.

Reliqua vide apud *Burm.*

- 89 *SESAMUM prostratum* caule depresso diffuso, foliis orbiculatis crenatis hispidis.

Pluk. amalth. Tab. 373. f. 2.

Crescit in arena mobili circa Madrastam, alibi rarissima. *Cel. KÖNIG.*

Caules depressi, diffusi, lignosi, hispidi, ramis oppositis et alternis.

- Folia* petiolata, suborbiculata (figura ad *Hermanniae alnifoliae* proxima) profunde crenata, dense hispida, opposita, ramorum floriferorum vero alterna.

Flores solitarii, erectiusculi.

Calyx 5 partitus, laciniis linearibus hispidis.

Corolla campanulata leviter quinquefida: lobo infimo longiore, extus e pilis minutissimis densis canescens, intus sanguineo colore super fundum flavum pulcherrime picta et punctata.

- Rudimentum* quinti staminis nullum.

Stigma lanceolatum.

Capsula dura, lignosa, ovata, basi subtetragona, apice compressa retusa mucronata, sulco utrinque notata, quadrilocularis.

Semina plurima oblonga, angulosa, nigra.

Odor nullus.

Sapor subacris.

Malabaris medicinalis.

90. *RUELLIA fasciculata* decumbens, foliis lanceolatis petiolatis dentatis oppositis: alterno minore, floribus fasciculatis.

Habitat in nemorosis prope Thermas Trinquemallenses Zeylonae. *Cel. KÖNIG.*

Multa habet communia cum *Prunella molucca* Rumph. VI. t. 13. f. 3. sed minora sunt folia, lanceolata et longe petiolata, nec cordata.

Caulis decumbens, tetragonus, tenuis.

- Folia* opposita: alterno minore, petiolata, lanceolata, dentata, nuda.

Fasciculi florum terminales.

Bractaeae ovatae, integrae, trinerviae, pilosae.

91. *CLEOME tenella*. L. Suppl. Pl. p. 300.

Sinapistrum indicum triphyllum tenuissimis foliis e Maderaspatan. *Pluk. Phyt.* t. 224. f. 3. bona.

Habitat in acidis arenosis sat copiose *Cel. KÖNIG.*

Foliola petiolis longiora impar lateralibus longius.

Pedicelli solitarii in matura siliqua longitudine petiolos aequant.

Corolla lutea.

- Stamina* 6.

91. *MALVA abutiloides* Spec. Plant p. 971. casu in Syst. Nat. ed. XIII. exclusa, nullo modo cum *Malva abutiloide* Suppl. Plant. p. 307, quam benevolentia Amici semper honorandi *D. THUNBERG* cum plurimis aliis Africae plantis possideo, confundenda. Audivi hanc in Anglia nomine *Mahae aulicae* appellari.

93. *SIDA lanceolata* foliis lanceolatis ferratis, stipulis linearibus acutis nervosis.

Misit exemplar honor. *KÖNIG.*

Caulis erectus, ramosus, tomento hinc inde aspersus.
Folia oblongo-lanceolata, acuminata, acute ferrata, nuda, breviter petiolata.
Stipulae lineares, acutae, nervosae, petiolo longiores.
Pedunculi solitarii stipulis parum longiores.
Flores parvi,
Capsulae acuminato-aristatae.

94. *SIDA chinensis* foliis ovalibus subtus tomentosis ferratis, stipulis filiformibus.

E China specimen adduxit plur. rev. WENNERBERG.

Caulis fruticosus, farina quasi aspersus, ramis divaricatis similibus.
Folia petiolata, ovalia, ferrata, subtus tomentosa.
Stipulae breves, filiformes, fuscae.
Pedunculi uniflori, solitarii, floriferi folio breviores, demum elongati, geniculati.
Flores parvi, flavi.
Capsulae quinqueloculares, glabrae.

95. *HEDYSARUM triflorum* β. L.

E China communicavit bon. WENNERBERG.

Caules vix semipedales, hispidi.
Folia ternata, foliolis obcordatis petiolisque hispidis et nudis.
Stipulae ovatae, acutae, striatae.
Pedunculi longitudine folii, axillares, solitarii, uniflori, oppositifolii.
Flores parvi,
Calyces hispidi.
Legumina uni- et multi-articulata, altero margine integro.

96. *INDIGOFERA linifolia*.

Sic potiori jure vocatur planta ad *Hedysari* genus in *Supplem. Plant.* p. 331. relata, quum *Indigoferae* characterem gerat, teste autopta KÖNIG.

97. *INDIGOFERA fragrans* foliis quinato-pinnatis: foliolis ovatis pilosis extimo majore, leguminibus tetragonis.

Dedit amic. KÖNIG.

Caules teretes, subpilosi.

Folia pinnata, quinata, utrinque pilosa.
foliola paria ovata.
foliolum impar obovatum, majus.

Stipulae lanceolatae, acuminatae, hirtae.
Pedunculi folio longiores, axillares, 3 - 5 flori.
Flores rubri calycibus albido-pilosis.

Legumina linearia, tetragona.

Colutea siliquosa glabra ternis quinisque foliis maderaspatana semine rubello *Pluk. Phyt. t. 166. f. 11.* satis bona, quamvis planta non glabra.

98. In *Mantissis Plantarum* et *Syst. R. Vegetabilium Equ.* a LINNE perperam confusae sunt sub nomine *Indigoferae enneaphyllae* et *Hedysari prostrati* non minus quam tres *Coluteae* Plukenetii. *Indigofera enneaphylla* nostra, quam amicitiae D. KÖNIG debeo, bene cum *Colutea Pluk. Phyt. t. 166. f. 2*, minus cum *Hedysaro prostrato Fl. Ind.* convenit, nam legumina multum tomentosa, quamvis dispermia et spiculas sessiles habet.

Indigoferam enneaphyllam Mant. 272. 571. et *Hedysarum prostratum* ibid. 102. equidem pro eadem habeo planta, sed inter synonyma ejus eliminari debent

citationes *Pluk. Phyt.* t. 165. f. 4. et 166. f. 3. non minus quam *Burm. Fl. Ind.* t. 54. f. 2, nomen *Pforaleae pinnatae* p. 272, et citatio *Mantissae* 496. in pag. nuper memorata occurrens.

Forte magis vel minus sessilia capitula habeat, et filiquis glabris et tomentosis ludat.

99. TRIFOLIUM *albidum* spicis pilosis ovalibus pedunculatis ebracteatis, calycibus patentibus, caule diffuso, foliolis ovatis.

E seminibus sub alieno nomine missis in Horto floruit.

Planta annua.

Caules ramosi, diffusi, teretes, levissime pubescentes, ramis basi nodosis.

Folia opposita, *foliolis* inferioribus ovatis, superioribus lanceolatis, arista brevi recurva terminatis, margine et carina ciliatis.

Stipulae lineari-lanceolatae, albo-viridique striatae.

Pedunculi elongati, stricti, substriati.

Capitula ebracteata, *floris* subglobosa, fructus ovata.

Calyx cylindricus, pubescens, dentibus adpressis: infimo longitudine circiter corollae trinervi, omnibus subulatis. Dorsales dentes, qui lateralibus paulo breviores sunt, ad corollam adeo deprimuntur, ut apices eorum sub lateralibus occultantur.

Corolla albida, levissime ad flavedinem vergens, monopetala.

In capitulo fructifero calycis dentes latiores facti divergunt, ut in Trifolio stellato, et in basi gerunt.

Legumen monospermum.

100. DOLICHOS *sinensis* L.

In horto academico sub dio terrae commissa semina Plantas caule erecto vix pedali dederunt, in urnis vero sata et tepidario inclusa caulem volubilem quadripedalem protruserunt; *subvolubilis* itaque *caulis* dicendus.

101. HIERACII *Taraxaci* quae sine dubio est *Picris* 27. *Halleri a Nob. LINNE* in *Spec. Plant.* p. 1125. descripti icon nullibi, quantum scio, prostat, quare illam addere superfluum non duxi. Tab. II.

102. ORCHIS *hyperborea* L. *Mant. Pl.* 121. *Prodr. Fl. Scandin.* p. 167. quum ab *Orchide Königii* ibid. p. 168. cujus icon in *Fl. Dan.* t. 333. prostat, diversa sit, ejus figuram addere volui. Vid. Tab. III.

103. LICHEN *scopulorum* foliaceus, rectus, compressus, linearis, laciniatus, nitidus, lateribus verrucosis.

Lichenoides fuciforme tinctorium, corniculis brevioribus et obtusioribus. *Dill. Hist. Musc.* 167. t. XX. f. 60.

Rupium latera rudi cauro exposita in littore maris ad Houfshallar Scaniae copiose obvestit. In rupibus Insulae Yersey *Dillenius*.

Licheni farinaceo quoad structuram haud ablimilis.

Frondes caespitosae crescentes, sesquipollicares, lineares, laciniatae, compressae, nitidae, albo-viridulae.

Lacinae steriles acutae, fructificantes obtusae.

Fructificationes incipientes sessiles excavatae, maturae verruciformes subpedunculatae convexae nitidae.

Obs. Figura et descriptio Dillenii sat bene cum nostro Lichene conveniunt, nisi quod folia in nostro sint angustiora, et omni villo destituantur.

Tab. I.



Pedicularis incarnata. e Groenland:

Capieux. sculpsit 1788

Tab. II.



Hieracium Taraxaci.

Capiaux. sculp. 1785.

Tab. III.



Orchis hyperborea.